TOLETVM.
TOLETVM precipua in Hispania ciuitas, Tago fluuio celebris, quam Anno Christi D C LXXIIII Rex Bamba, turbulēta seditione in Hispania sedata, muro turrib. et ædificijs elegantibus exornauit, et hos versus marmori in turri quadam, insculpi voluit: Erexit fautore deo Rex inclytus vrbem Bamba, suæ celebrem protendens gentis honorem. Vaseus. Memorabile est, quod de arce toletana Rodericus Toletanus Archi Episcopus refert. Anno Christi. D CC. Regnante (inquit) Roderico vltimo Gothorum Rege, erat Toleti palatium, à multorum Regum temporibus semper clausum, et seris pluribus obseratum. Hoc fecit Rex Rodericus, contra voluntatem omnium aperiri. &c. In quo præter vnam arcam repositam nil inuenit. qua aperta, reperit quendam pannum, in quo latinis literis erat scriptum. Quod cum contingeret seras frangi, arcam atq palatium aperiri, et videri, quid inibi haberetur, gentes eius effigiei, quæ in panno illo erant depictæ, Hispanias inuaderent, et suo dominio subiugarent. Quod Rex videns, doluit aperuisse, et vt erat prius, fecit arcam et palatiū iserari. Erant autem in panno depictæ facies et vultus, dispositio et habitus Arabum &c. Qua pictura visa Regis Proceres timuerunt. Hactenus ille. Sensit deinde miserabilem vniuersa Hispania cladem. Nam Anno Domini D.CC.XVII. ex sententia Taraphæ, vel, vt Vaseus, Et L. Marineus Siculus perhibent: Anno. Christi, D CC XIIII. Saraceni Roderico vltimo Gothorum Rege, infausto octo dierum conflictu, vniuersa nobilitate deleta, totam Hispaniam partim vi, partim deditione ac metu, partim promissionibus breuissimo tempore in potestatē redigunt. Cantabris duntaxat, et Asturibus exceptis. Ac deinde, Anno D CCXV Dominica Palmar. Toletum fraude Iudæorū Mauris proditum fuit, Dum Christiani nihil minus suspicantes, extra vrbem ad D. Leocadiæ de more vacarēt audiēdo verbo diuino. Ab eorum autem tyrannide liberatur et Christianæ Religioni restituitur, per Alfonsū Sextum, Anno Dnī. Millesimo, nonagesimo tertio, vt ex Codice Alcobaciensi, et ex alio chronico perantiquo, Vasæus notauit.